DE
INTERMITTENTE ET MIASMATE QUOD MALARIA VOCATUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ALBERTINA

UT SUMMI

IN MEDICINA CHIRURGIA ARTEQUE OBSTETRITIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE II. MENS. AUGUST. ANNI MDCCCLIV

H. XII. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

C. L. F. OSCAR VOIGTEL

BRANDENBURGENSIS P./H.

OPPONENTIBUS

THEODOR SCHRÖTER, MED. ET CHIR. DRD.

HUGO RAKOWSKI, MED. ET CHIR. DRD.

REGIOMONTI BORUSSORUM

IMPRESSIT ERNESTUS JULIUS DALKOWSKI.

VIRIS

EXCELLENTISSIMIS ET ILLUSTRISSIMIS

DR. EDUARD VOIGTEL

MED. PRACT. INSTITUTI PRO ART. OBSTETR. DIRECT.

MAGDEBURGI

PATRUO SUO

ET

DR. LEOPOLD SCHMIDT

MED. PRACT.

BEROLINI

AVUNCULO SUO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Multi quamquam excellentissimi et experientissimi viri et antiquorum et recentiorum temporum collationes observatione dignas nobis dederunt de febri intermittente praecipue de intermittente perniciosa, tamen non incongruum esse credo, si de hoc gravi, longe lateque diffuso, nihilo minus obscuro morbo omnes, quibuscunque observandi occasio detur, observationes suas in medium proferant. Equidem plurimum ab eo absum, ut artem medicam novis in pathologiae finibus cognitionibus augere velim, sed modo mihi proposui et de intermittente Malaria dicere, quomodo mihi ante oculos posita sit, et, aliis huius rei descriptionibus perlustratis, notas addere atque instituere compa-

rationes. Quo facto, nonnulla exempla afferre, quae, prae ceteris eminentia, ducibus illustr. professoribus, in discenda arte medica accurate diligenterque observavi et conscripsi, mihi haud negligendum videtur.

Denique non possum, ut omnibus viris, optime de me meritis, gratias agam maximas; maxime autem illustrissimo Professori Moeller et experientissimo Doctori medic. Schiefferdecker, qui opere et bono consilio ad hanc dissertationem meam elaborandam benigne me adjuverunt.

Febrem intermittentem, ut modo nomen morbi significat, interpretamur esse affectionem febriculosam, quae definito tempore apparet, sic tamen, ut hoc tempore praetermisso, aegroti majus minus bene sese habeant. Quae febris tentationes manifestantur illis tribus, ut medici nominant, stadiis frigoris, ardoris, sudoris sine aliis gravibus perturbationibus. Illustrissimus noster Schoenlein, verbum „febris“ omnino delendum esse putat, propterea quod semper hoc verbum systematis vasorum significet irritationem, et tamen multae observantur affectiones intermittentes, exempli caussa Odontalgia, Baryecoia, Amaurosis, Prosopalgia, quae maximam partem periodice prodeuntes, paene semper febriculosa carent irritatione; itaque ut omnibus his morbi statibus nomen commune daretur „intermittens“ proposuit. Etiam illas intermittentes jamjam a veteribus medicis nomine febrium intermittentium larvatarum commemoratas, in numero morborum intermittentium sine febri habendas esse, mihi non incongruum videtur, quorum morborum maxime memoratu sunt digni: Palpitationes, Haemoptysis, Vomitus, diversae Ophthalmiae et Neuralgiae, Pneumoniae. e. a. Antea posita erat sententia, seminia febris per omnes corporis partes diffusa, iis locis, quibus symptomata maxime sese ostenderent, (pulmonibus, corde, ventriculo) quasi congregata esse ad procreanda signa his visceribus propria, reliquo corpore plane integro. Henle intermittentem esse morbum sibi constantem negat, simul sententiam defendens, frigoris, ardoris, sudoris stadia, similiter ac dolores, spasmi, symptomata tantum habenda esse gravioris morbi ad hoc tempus quidem satis obscuri; morbum ipsum nomen false cepisse a symptomatibus. Ceterum febris intermittens jam veteribus

nota erat, ut ex Hippocratis, Celsi, Galeni litteris elucet, et quamquam usque ad nostra tempora omnium terrarum medici aliique viri doctissimi observationes instituerunt diligentes atque accuratas, tamen hujus morbi involuti natura modo paullulum nobis perspicua est.

Tum si ponimus quaestionem, quidnam febris intermittens perniciosa sibi velit, scilicet apyrexia et paroxismi, propria febri intermittenti symptomata, servanda sunt, attamen diversae majus minus graves adjiciuntur affectiones, quae aegrotis facile mortem afferre possunt. Verbum Mal'aria sive aria cattiva, de lingua Italica assumptum, principio significabat illum aërem alienis materiis contaminatum, qui aër prima febrium perniciosarum caussa habebatur; nomen morbi ductum est a caussa. Rivieré duo genera febrium perniciosarum distinguenda esse credit; alterum paroxismo tertio aut quarto aegrum subita morte tollit, alterum facit morbum perniciosum variis gravibus complicationibus, quamquam pyrexia ipsa haudquaquam magni refert. Reddiderunt rationem, hominum c. quingentorum intermittente simplice affectorum, unum vix mortuum esse, illis tamen regionibus exceptis, ubi intermittentes endemice dominantur, quoniam genius epidemicus aut endemicus levissimos etiam morbos faciat periculosos, omnibus gravibus aliorum viscerum affectionibus desideratis. Intermittente Mal'aria endemice aut epidemice regnante, ex observationibus centenorum hominum circiter decem supprimuntur. Deinde in intermittente perniciosa, si eam cum simplice comparamus, habenda est ratio inclinationis incidendi de integro in morbum eundem aut in alterum, habenda est ratio diuturnitatis, hominis affecti constitutionis, regionis morbis intermittentibus vexatae. In zona torrida Malaria repraesentatur praecipue febri flava; febris biliosa, quae ab eadem caussa nascitur, et autumno apud nos etiam observatur, quasi transitum exprimit. Non tantum hominis constitutionem, sed potius majorem minorem acervationem materiae morbum procreantis, quae vocatur „Miasma", naturam perniciosam ei praebere posse, multi obtinent. Tamen negare non possumus, quin, intermittentibus endemice grassantibus

inferioris ordinis homines capiantur numero majori quam superiore loco nati; itaque aliae etjam conditiones ad creandum morbum vim habeant necesse est quam materiae febris illa acervatio.

Morbus nascitur non sicuti aliae febres raptim aut post breves prodromos sed symptomata antecedentia et diu tenent, et debilitant vires vehementer et semper assimilationem atque sanguificationem impeditas esse docent. Fere omnes de caussa morbi periodici ingressus explicationes rejiciendae sunt. Quam naturam intermittentem multi describere velunt in illarum actionum physiologicarum classes, quae typice apparere solent, verbi caussa sedes, menstruatio, somnus, vigilia etc. nonnulli rem evolvere periclitantur sic: energiam irritationis febriculosae usque ad modum definitum, ut ita dicam, ad nihilum reduci *) posse, aut eliminando aut assimilando; utraque in parte cessat febris sed aegrotum invadit novus paroxismus, simulatque nova materia irritans genita collectaque est.

Animalibus febres intermittentes non ingruere, mihi commemorandi dignum videtur. Schoenlein monet, proinde ut menstruatio signum genus humanum designans constituta esset, intermittentem etiam invadendo tantum hominibus, hos a ceteris animalibus dignoscere. Jacob van der Haar, qui nonnullas intermittentis raras tentationes in animalibus observasse vult, jure rem notatu dignam habet, animalia in aëre tam pestilenti, qui in hominibus omnia febrium simplicium et perniciosarum genera adducat, integra relinqui ab hac praepotente caussa morbi.

Irritatione atque irritabilitate aucta et diutius tenente, sanguine plane mutato et quod attinet ad compositionem et ad circulationem intermittens redigitur ad continuam remittentem. In remittente quamquam etiam exacerbationes cognoscimus, tamen intermissiones verae desiderantur. Veteres non ignari fuerunt febris remittentis. Quarum febrium perniciosissimam Hippocrates et Celsus descripseruut eam, quae horarum duode-quinquaginta per triginta sex vexare solebat aegrotos, tempore libero haudquaquam validos. Deinde ani-

*) neutralisirt.

madvertitur, febris intermittentis epidemias et ad omnes morbos acutos et chronicos non nihil posse. Quorum enim in plurimis inclinatio periodos conformandi in symptomatibus procedendis, praecipue in morbis acutis (inclinatio) subitae crisis satis perspicue cognosci potest. Ceteroquin omnes intermittentes systematis nervorum aestimandas esse affectiones auctorum pars major enodare experta est, maxime propter decursum typicum. Intermittente autem diutius durante et in morbis Malariis profunda vegetationis perturbatio et quae eam sequuntur mala rejici non possunt. Febris est, ut omnibus in morbis acutis, modo symptoma, signum comitans, cuius caussam in organismo investigari oportet. Ut supra iam commemoravi, Malaria praecipue cognosci potest ex typo intermittente et remittente tentationum febris. Invenimus tamen similes paroxismos et intermissiones multis in aliis statibus morbosis, ut exempla dicam, in diversis processibus purulentis, Pyaemia, Phthisi, omnino in omnibus morbis vires exhaurientibus, scilicet in his aegrotationibus irritationis vasorum sanguineorum caussam reperimus, quamquam non plane est explicata res illa, quomodo caussa cohaereat cum effectu. Itaque magna est quaestio, ubi sit caussa stimuli febriculosi in Malaria, inflammationibus per physicam explorationem apertis exceptis. Ceterum intermittentis ipsius typum intermittentem variis subjectum esse modificationibus, in hac pertractatione rationem habere, nobis jam potestas praebebitur.

Quod attinet ad morbi reditum, intermittens mire opponitur aliis morbis acutis, maxime Exanthematicis. Quibus enim semel affectum individuum ab reditu tutum redditum videtur; febres intermittentes facillime invadunt modo iis, qui frequentissime, diutissime, gravissime eodem morbo fuerunt afflicti: Caussa huius rei quaeri potest in primo casu in eo, quod. morbo praetermisso, simul semen proprium, ut ita dicam, deletum est; contra Malaria corpus enervatum, debilitatum, cum minore reagendi facultate reliquit. Addendum est, me putare, et febres intermittentes simplices et Malarias et intermittentes perniciosas quamquam, quod pertineat ad gradum et vehementiam haud promiscue aestimandas,

tamen quod pertineat ad qualitatem, quoniam, ut postea explicabo, caussam habeant eandem, in unam describendas esse classem. Reil aegrotos vidit, quos, primis paroxismis leniter praetermissis, denique post temporis spatium annorum quindecim paullatim perniciosae naturae intermittentes incesserunt. Ceterum redeuntes huius generis febres multo rarius inveniuntur in hominibus superiore quam inferiore loco natis; id quod est argumento, etiam conditiones incommodas et mores ratione carentes saltem participes esse morbi redeuntis. Senac in litteris suis mentionem facit de febris semine quodam in organismo latente, quod apyrexiae temporibus toto in corpore pariter dispersum, certis temporibus alicubi corporis accumulatur et procreat paroxismum. Praeterea si Malariae signum nuntio diuturnitatem, hoc etiam modo referri potest ad multitudinem redeuntium offensionum; nam caussa morbi intima, vi febris levata, non tamen deleta est. Quod attinet ad inclinationem morborum sanguinis universalium, pathologicorum statuum viscerum, haec est re vera multo gravior quam in plurimis aliis affectionibus. Jam Hippocrates in opere de aëre, aquis, locis scripto loquitur de viscerum abdominalium intumescentiis, praecipue lienis; qua de re postea; id solum notare placeat, usque ad nunc temporis viros doctissimos disputasse, num lienis intumescentia habenda esset caussa an consecutio febris intermittentis. Plurimi lienem semper et auctum volumine et majus minus dolentem observasse volentes, hoc ex intermittente secutum declarant. Nonnulli auctores, inter quos Louis, lienis intumescentiam habent caussam intermittentis propterea quod lienem jam saepenumero invenerunt amplificatum ante febris eruptionem; id quod mihi haud satis verisimile videtur, quoniam rationem habeamus necesse sit, nonne forsitan status praesens sit intermittens recidiva itaque lienis intumescentia jam antea adfuerit. In nullo alio morbo quam in Malariis nos invenire tam miram cutis coloris commutationem, tam atonicas Hydropsias, aquas intercutes, tam durantes capitis dolores, tam profundas nutritionis perturbationes, hac de re dicere postea occasionem non omittemus. Veteres medici in maxima intermittentis perniciosae verae ignoratione versati esse videntur. Hippocrates hac-

tenus modo eam attingit, quod nonnullos morbi impetus exitu mortifero observasse commemorat. Primum saeculo septimo decimo Merralus et Morton eam descripserunt accuratius.

Deinde quod pertinet ad caussas et ad fines geographicos intermittentis, non denegari potest, quin in forma maxime evoluta regionibus mediis Zonae temperatae reperiatur, et terrae polos versus sensim decrescat. Quod consentaneum est cum illa re, postea diligentius inquirenda, frigus omnino impedire processus putrescentiae et dissolutionis, contaminationem igitur aëris cum iis, quae putor genuit, elementis, illis locis frigidis, non magni momenti esse posse. In Europa intermittens invenitur ad septemtriones circiter tres aut quattuor gradus ultra urbem Upsalam, versus occidentem usque ad insulas Schetlandias, in meridiem finis non satis constitutus est et hic praecipue ad formas perniciosas inclinat. In Zona temperata febres intermittentes vere incipiunt simplices, aestate naturam remittentem et biliosam recipiunt, autumno iterum simplices remittuntur. Eadem lex a Mathaeio doctissimo in Zonae torridae Malariis observata est, ad exemplum in febri flava. Cujus morbi in urbis New Orleans epidemia anni MDCCCXIX et formam et intensitatem a caloris gradibus pependisse enarratur, sic quidem ut progressus morbi ex thermometro praestitui posset; similia Morreau de Jones de epidemia Antillis insulis dominante prodidit. Saepenumero postquam febri flavae praegressae erant intermittentes, intermittentes etiam finem fecerunt epidemiae. Omnibus ex quibus observationibus elucet perspicue, calorem forsitan non nihil valere ad generandas Malarias. Begin et Fournier animadverterunt, quo vehementior calor, decursum esse eo velociorem et magis iniquum, complicationem cum systematis nervorum affectionibus eo frequentiorem. Prae omnibus Favre defendit illam de calore sententiam; multi tamen calori hactenus modo culpam posse tribui ad procreandas Malarias existimant, quod ad materiarum vegetabilium putrefactionem et ad elementorum insalubrium diffusionem multum affert. Ad hoc accedit, ut pluviae calidae, longa siccitate praegressa, materiarum organicarum dissolutionem multo magis accelerent.

De qua re Link in Hufelandii adversariis casum narrat observatum in se ipso in Graecia versante, quo, imbribus calidis post ariditatem cadentibus, non tantum ipsi sed etiam multis millibus continuo intermittentes graves invaserunt. Ad hoc accedunt momenta alia atmosphaerico-tellustria et heterogeneae materiae aëri admixtae, quae Miasmata vocantur. Hujus Miasmatis non tantum ex paludibus et campis paludosis sed etiam ex incultis quin imo vulcanicis ascendentis, usque ad nunc temporis ignari sumus. Dr. Geuns dicit in libro hac de re scripto, extra analysin chemicam et extra microscopi fines ignotas jam adesse agentias, quas modo ex affectu cognovissemus, existimans hujus generis vires in miasmate palustri contineri. Maxime invenimus febres intermittentes et remittentes propter paludes, aquas turbidas stagnantes, regiones maritimas, flumina majora. Quorum exhalationes, vegetabilibus et animalibus substantiis putredini subiectis, caussae illas febres incitantes dicuntur, si tamen venti et aestus magnus accedit ac vehemens, non solum acceleratur evaporationum perniciosarum explicatio sed etiam in iis vis major, mobilior vita evocatur. Aër hoc modo inquinatus vocatur Malaria. Boudin in opere de intermittente eo progreditur, ut floram accipiat palustrem et Miasma adscribat partim abundantiae materiarum his plantis paludosis propriarum partim penuriae materiarum quarundam. Sprengel demonstrans, plantas paludosas carere substantiis salsis et mineralibus, quibus ad crescendum modo paucis utantur, ex eo concludit, illas alias materias maxime dissolutioni aptas praeponderare; id quod tamen non firmissimum est. Principio aërem esse impletum animalculis putaverunt, quae respiratione in corpus inducta, sanguinis veneficium efficerent. Nuperrime Metaxa, medicus Italicus, iterum hanc sententiam defendit; quae tamen multis ex caussis repellatur necesse est Inter alia tantum afferre volo, quod nonnullis regionibus, ubi infusoria diversa ingente numero una cum aqua bibenda organismo ingerantur, tamen ne minimum quidem vestigium febrium hujus generis observari potest. Tantum nobis constat, et regionum palustrium incolas et qui commigrant regionibus salubribus in paludosas prae omnibus subjectos esse Malariae; exempli gratia copiae Franco-

Gallorum, ut Peter Senac narrat, progredientes ad littora Hollandica majorem cladem acceperunt ex Malaria quam ex hostium ferris. Paludes, prope mare sitae, vim magis malignam habere dicuntur ad organismum quam aquae stagnantes pluviarum et fluminum; id quod ut majori copiae materiarum putrescentium adscribendum sit, quae ex mari in paludes traducuntur verisimile est. Ceteroquin paludum evaporationes non solum ad homines vim habent adversam sed etiam ad animalia et plantas. Harum in regionibus paludosis paene modo plantae aquaticae reperiuntur et tales arbores, quae ad crescendum multis utuntur substantiis aquosis. Omnes aliae plantae depravatae sunt, fructus maturitatem non adipiscentes, multum aquae continent, frumenta non laete proveniunt, legumina parum alibilia, animalia majora male crescunt, minora macrescentia, rhachitica, carne aquosa; quin pisces sine sapore molestias adducunt in concoctione. Senac alias etiam exhalationes organismo noxias attingit. Ut exemplum dicam, ille auctor: fuisse magnam urbem, vallo et fossa circumdatam, in quam, circumactis annis quadraginta, omnes sordes ex domibus et viis confluxerant; huc usque incolae bona gavisi erant valetudine: quum autem sordes superficie aquae, quae erat in fossa, eminerent, Malaria perniciosissima saeviit per omnes urbis partes ita ut eodem anno bis millia homines interirent, quum antea mortuorum numerus confecisset modo summam hominum quadringentorum. Praeterea Senac accusat usum carnis pecudis aegroti, piscium putridorum, diversorum leguminum, pomorum acerborum et immaturorum, accusat deinde intemperantiam in cibo potuque, humores, animi commotiones. Tum, experimentis institutis praecipue a Moscati et Julia, sententia posita est, illis regionibus Malaria vexatis materias ad putredinem propensas in aëre esse suspensas, quae eodem modo in organismum respiratione inductae, morbum evocare possent; multa facta reponuntur: Bailly Romae anno MDCCCXXII, quo tempore haec urbs turbis innumerabilibus cicadarum ibi ingenti numero morientium et putrescentium, cruciata est, observasse vult, modo hoc anno Malariam forma mitissima prodiisse.

Tum morbus procreari dicitur proportione normali aëris elementorum ex evaporationibus perturbata; opponitur: elementa aëris semper et ubique in quantitate esse aequalia. Liebig postquam aërem agrorum oryza consitorum, theatri Parisiensis hominibus impleti, multorum nosocomiorum cubiculorumque, quantum contineret oxygenii et nitrogenii, exploraverat et diligentissime comparaverat, omnibus alienis materiis remotis, ne minimam quidem commutationem quod attinet ad quantitatem invenire potuit. Supra consulto commemoravi agros oryza consitos, propterea quod qui hos agros colunt homines, ut multi auctores affirmant, frequentissime Malariis subjecti sunt; caussa est, quod hi agri inundentur necesse est, itaque homines operarii anni maximam partem vitam in humidis exhalationibus vivere coacti sunt. Aëri interdum gasia organismo infesta admixta esse, nihilo magis probabile est. Quae antea habebantur irrespirabilia, quae constare dicebant ex conjunctionibus Hydrogenii cum sulfure, (ut Daniell in littore occidentali Africae animadvertisse vult) cum carbogenio, cum phosphoro.

Fortasse autem sunt vires atmosphaerico-tellustres majoris discriminis; quarum prae omnibus praestant conformatio soli et electricitas. Forry (Americ. Journal) explicavit, solum arenosum minime idoneum esse Malariae generandae, lutosum et argillosum facillime eam producere posse. Id quod praecipue ratum factum est in epidemia, quae in Hollandia furuit anno MDCCCXXVI, qua vici in humo sabulosa siti intacti sunt morbo, omnia autem loca in humo lutosa constructa horrendum in modum Malaria punita sunt; etiam loca et domicilia altius posita multo magis oblata esse videntur febribus perniciosis quam quae profundius aedificata sunt. Romani, morbo erupto, commigrant in montes Sabinorum, Botzenii oppidi incolae in Botzenium (minus *) editius situm. Fergasson observavit: Malariam praeter solum repere, frequentissime viis, contabulationibus, locis umbrosis, prope arbores quasi colligi, sed nunquam excedere altitudinem pedum MDCCC aut bis millium. Quin humores participes

*) Kleinbotzen.

sint Malariae procreandae certe paucis dubium est, quos quamquam Parent-Duchâtelet, caussam Malariae esse, haudquaquam agnoscere vult, ad argumentum afferens bajulos illos, qui Parisiis naves lignis exinaniunt et, quamvis continuo in aqua versantes, tamen raro febribus Malariis afficiuntur. Sed clare videmus, morbum autumno et vere, quibus temporibus aëris humores maximi sunt, opprimere plurimos homines. Maffoin idem mecum sentiens, repentinas temperaturae mutationes pariter noxias esse addit, ut locis, quae Romam et Pedemontem circumjacent. A multis auctoribus aëris electricitati haud exigua vis adscribitur ad Malarias creandas. Quamquam re vera non negari potest, quin electricitas modo quodam commutata organismo detrimenta inferat, tamen usque ad nunc temporis, quatenus ad Malariam valeat, non satis exploratum est. Eisenmann sententiam evolvit, miasma pendere quibusdam ab conditionibus aëris electricitatis; has conditiones nasci eo modo, ut magnis superficiebus aquarum et superficie terrae propriae quae vocantur columnae Voltaicae conformarentur. Qua in re isdem auctor admonet, quomodo sese habeat humus arenosa et lutosa quod attinet ad Malariam. Denique ut injuriae frigoris, aurae nocturnae nebulosae, humi jacendi, usus aquae frigidae et fructuum aquae multum continentium detrimentosi momenti sint, ut jam antea dixi, veresimile videtur. Aquam stagnantem jam Hippocrates valetudini iniquam designavit, qui effectus ex eo intelligi potest, quia processibus fermentationis et putredinis faveat, itaque facillime materiae alienae procreari possint. Qua de re Boudin refert casum non injucundum, quo nautarum et militum navis cuiusdam longae maxima pars, postquam aquam loco paludoso haustam biberat, Malaria periculosissima affecta est, ceteri autem, qui hac aqua sese abstinuerant, integri sanique relicti sunt.

His rebus pertractatis mihi proposui breves notationes addere de propagatione et discrepantiis Malariae singulis terrae globi regionibus dominantis. In Germania, ubi repentina temperationis commutatio, siccitas et humores, nebulae frigidae praecipuae caussae sunt febrium perniciosarum, omnibus formis procedunt.

Nonnullis regionibus adeo stationariae, aliis incipiunt mense Aprile et postquam mense Julio et Augusto usque ad summam altitudinem pervenerant, mense Novembre paullatim evanescunt. Complicationes, praecipue viscerum abdominalium affectiones, sunt frequentissimae. Reservo mihi postea aliquid dicere de intermittentibus, quales apud nos prodire solent. In Hollandia febres Malariae maxime evocantur coelo humido nebuloso, frigidulo, praeterea Hollandiam in illarum terrarum classes adscribendam esse multi aestimant, quibus miasma verum procreatur. Novissime ceterum prodidit Dr. Gouzée, hic febres intermittentes, quamquam rariores fiunt, tamen insolitis symptomatibus adjectis funestioribus formis apparere quam antea. In Anglia ultimo tempore intermittentes inter omnes morbos rarissimae observatae sunt. In Italia, maxime in Toscana et Italia australi, ut Daniell vult, Malariae est caussa prima aër hydrosulfuratus *), eo, ut salia sulfurico-acida per materias organicas decomponantur, productus; praeterea ab aliis auctoribus jure accusantur humus argillosa, multae illae paludes simul cum innumerabilibus plantis paludosis et algis putrescentibus. Romae prope paludes Pontinas et in montibus ad septemtriones sitis Malariae inveniuntur et extrema aestate et autumno. Imperium pendet, ut ubivis, a commutatione atmosphaerica, ab humoribus, calore, situ. Humidum solum sudorisque suppressio prae omnibus vim habere dicuntur iniquam ad valetudinem. In Corsica sunt tam multae paludes, ut nonnulla loca, praecipue portus, vix habitari possint. In Sardinia paludes quoque anno amplificantur ita ut, agricultura magis magisque collabente, haec terra tempore absolute populatura sit. In Franco-Gallia australi per totum annum febres tertianae et quartanae tam vehementes et pertinaces dominantur, ut incolae quasi adsuefacti non solum deponant ullam curationem, sed etiam neglecto morbo quotidiana sua negotia insistant. Ut exemplum dicam, in locis montuosis illis, quae oppidum Forez circumjacent, ventis impeditis, multae sunt paludes, quarum exhalationes in planitiem diffunduntur; aestus

*) Schwefelwasserstoffgas.

flagrantissimus continuo convertitur in frigus intolerandum, paludes piscinaeque ipsae sunt impletae plantis paludosis, mane et vesperi nebulis frigidis densisque obtectae, ne multa, haec regio in earum numero habenda esse videtur, quae omnes conditiones Malariae progignendae continent; praeterea occasionem offert clare cognoscendi, quomodo, qua de re jam antea admonui, vallium habitatores et monticulae inter se differunt. Montfalcon dicit:

Die Bewohner von Forez lassen sich beim ersten Anblick von den Bewohnern der Ebene unterscheiden; sie geniessen eine gesunde Luft, gutes Wasser und Wein, sind industriös und wohlhabend, stark und regsam und haben eine frische Gesichtsfarbe und ausdauernde Gesundheit. Die Bewohner der Ebene dagegen athmen eine unreine Sumpfluft, trinken ungesundes Wasser, entbehren den täglichen Genuss des Weins, sie sind aufgedunsen, schwach, haben eine gelbe und erdfarbene Haut, und in moralischer Beziehung lässt sich rücksichtlich ihrer alles das wiederholen, was über den Charakter der Sumpfbewohner gesagt ist. Sie erreichen selten ein hohes Alter, und die Bevölkerung vermindert sich in jedem Jahre auffallend. Im 45sten Jahre ist hier der Mensch alt, im 50sten Greis und selten erreicht einer das 60ste Jahr.

De Malaria terrarum Austriacarum multae et jucundae nobis permissae sunt relationes. Maxime regionum maritimarum incolae morbis vexantur, inter quos Pestis bubonica et Hemitritaeus Daciae. Dr. Erdl, longum tempus Pola oppidulo commoratus, in numero caussarum principum habet aquae penuriam, paludes jam exsiccatas aut exsiccantes (Savi consentit cum Dr. Erdl, paludes exsiccatas semina Malariae jam diutissime reservare), defectum pluviarum (ex relationibus fide dignis saepe per sex aut septem menses ne gutta quidem pluviae cadit). Et incolas opprimit Cachexia Malaria perpetua et peregrini morbo afficiuntur continuo, simul ac oppidum intrant. Contra, id quod notatu dignum, nautae, qui minus passuum ducentorum ab urbe propinqui naves in ancoris tenent, si urbem ingredi evitant, fere non a morbo tanguntur.

In Asia inveniuntur pauciores paludes quam in Europa; nonnullae propter Euphraten flumen, in terris Tartaricis, ubi sunt magnae planities obtectae aquis stagnantibus nebulisque, montes continui. In India orientali agitantur illae febres, quae vocantur montanae (Hill-fevres); quas, quum non adsint paludes, noxis montium generum variorum adscribendas alii putant, (Dr. Heyne in urbe Madras) alii aëris electricitatem et magnetismum caussam morbi esse veram. Ceylon insula (Charles Pridham) ante collucandas silvas antiquissimas a Malaria horrendum in modum castigata est. Nostris tamen temporibus, postquam insulae maxima pars culta itaque, quin reliqua exstinctorum animantium plantarumque tam facile putrescant, prohibitum est, Malaria magis magisque coepit remittere. Memoratu dignum mihi videtur, quod indigenas invadunt intermittentes, remittentes autem alienigenas. Complicationes sunt frequentissimae, Opii praeparata efficacissima praedicantur. Malariae autumnales dominantur in America omnibus formis et regionibus cultis et in vallibus, in ripis aquarum fluentium et stativarum, prope paludes piscinasque, prope lacus molesque. Volney invenit spatio milliariorum CLX. ne viginti quidem domus febri intactas; ripae fluminis Ohio, loca ea, quae lacum Erie circumjacent, quotannis vexantur hac pestilentia. Febres quamvis raro mortiferae, tamen, viribus perversis, mature homines senes faciunt. Extremo mense Octobre morbo capti aegroti per hiemem minus commoda utuntur valetudine et demum incidunt in illam Cachexiam deplorandam. Coloni Franco-Gallici ad flumen Ohio propinquis paludibus nebulisque frigidis graviter affliguntur. Civitates Mexicaniensium, ut Robert Newton refert, maxime mense Aprile et Majo intermittentibus tamen non periculosis vexantur; febres intermittentes civitatum Confoederationis medium tenent inter febres typhosas et intermittentes. Et remittentes continuae et perniciosae et biliosae sunt observatae, quarum hae quibusdam ex partibus febri flavae haud dissimillimae videntur. Necroscopiae fere semper monstrabant glandulas Brunnerianas infiltratas, lienem adauctum, hepar cane virideque coloratum, rarius ventriculi inflammationem. Et febres remittentes et intermittentes ripas

lacuum Ontario et Erie obtinentes, quae febres apellantur „lacustres", in his morbis ducendae sunt. Contagium pernegatur, medicamenta efficacissima Calomel et extr. Colocynthid. comp., quibus primo derivatio vehemens conficeretur ad rectum, tum Chininum sulfuricum, intermissionibus neglectis. In Brasilia modo iis locis est observata Malaria, quibus multae paludes et magna ubertas. Perniciosissimae tentationes sunt vespertinae et nocturnae, quibus non raro adduntur affectiones viscerum inflammatariae, graves gastricae, et postea Anaemia insanabilis.

Africa satis abundat paludibus, quae climate multo periculosiores fiunt. Aegyptus inferior per plures anni menses quotannis Nili inundationibus in magnam paludem transformari dicitur. Prosper Alpinus dicit, has febres perniciosissimae naturae esse, eas saepe inclinare ad status putridos et mensibus Aprile et Majo, austro fervido accedente, pertinaciam permagnam accipere. Exhalationes, siccitas aëris assidua, venti infesti itidem plurimum proficiunt ad creandas febres Malarias. In Algeria prae omnibus Boudin coeli naturam accusavit, quae proferendo Malarias copias Franco-Gallicas decimasset; quas febres, Dr. Loverau refert, praecipue conjunctas esse cum Convulsionibus, Deliriis, Coma, doloribus vehementissimis et Haemorrhagiis. Sed postquam maxima pars terrae culta paludesque noxiae illae remotae sunt multo rarius procedunt febres Malariae.

Denique si placet nonnullas afferre volo notationes de gravissimis complicationibus, quarum gastricae frequentissimae sunt observatae. Interdum jam frigoris stadium, ut Maillot in Africa vidit, attulit mortem aegrotis; qui sunt vehementer excitati, sitiunt, respiratio et vox debilis, pulsus parvus, irregularis ita ut mors jam ante secundi stadii ingressum adventet. Stadium secundum, ut Torti, qui ipse laboravit, narrat, nonnunquam sudore ingente, virium prostratione, pulsu parvo, morte repentina designantur. Perturbationum systematis nervorum prominent Coma, Delirium, Catalepsia, Epilepsia, Hydrophobia, Paralyses, Neuralgiae; Droste et Ridley status memorandi dignos tradiderunt stuporis intermittentis. Puella duodeviginti annos nata, valida ceteroquin, ex novem annis quotidie separatis tempo-

ribus subito mente sua privatur. Pupilla dilatata, oculi rigentes; tamen commotiones, quas incepit, non intercipiuntur, quum aegrota hoc statu fossam transgredi possit; clare inclamata modo vocem emittit „hm". Sexagesima horae parte praeterlapsa repentino iterum mentis suae fit compos puella; raro libera fuit per integrum diem; medicamenta nihil valuerant. Casum simillimum James Ridley in viro triginta tres annos nato observavit. Medicamentorum nihil inexpertum est omissum, demum tempus morbum sanavit. Stoeber hominem Amaurosi intermittente affectum curans, remediis antitypicis sanitati eum reddidit. Aegrotum per decem dies quoque vesperi solis occasu Amaurosis invasit et effugerat postero mane. Qui impetus postea, aliis temporibus apparentes, diutius tenebant et ad extremum paroxysmi quotidiani mutati sunt in tertianos.

Etiam organa respirationis et circulationis in intermittentibus non raro affecta sunt. Agitur de intermittente syncopali, asthmatica, dyspnoica, pneumonica, etc. Simon mentionem facit nonnullarum observationum Asthmatis intermittentis, quae, Chinino sulfurico adhibito, continuo destiterunt; Magliari duarum observationum Pneumorrhagiae intermittentis, quam pariter Chinino sulfurico sanavit. In utroque casu exploratio physica nihil praebuerat. Id quod pertinet ad intermittentem pneumonicam, duas historias morbi gravissimas nec injucundas, afferre, mihi ego extremum proposueram. Marcé, qui hac de re quaestiones accuratas atque diligentes instituit, praecipue, quomodo sese habeant congestiones pulmonum et febris intermissiones et num illae congestiones forsitan in organis respiratoriis locum occupent, qui prae ceteris placeat *), cogitata hoc modo proloquitur: Febres intermittentes pneumonicas duobus ex elementis constare, febri et inflammatione, quarum decursus inter se differant, quoniam febris monstret paroxismos et intermissiones, inflammatio autem et in paroxismis et in intermissionibus permaneat et, febri remota, ratione consueta resolvatur, non tamen remidiis antiphlogisticis sed antitypicis; febrem intermittentem dignoscendam et curandam, pulmonum affectionem

*) Lieblingsstelle.

modo secundariam esse; Pneumoniam, quae cum intermittente concurrat, non abhorrere videri a Pneumoniis vulgaribus, quum eadem signa auscultationis et percussionis praebeat; eam fortasse comparari posse cum lienis intumescentia, quae, febri procreata, post febrem exstinctam perduret. Quod demum attinet ad localisationem intermittentis pneumonicae, Marcé obtinet, eam maxime pulmonem sinistrum capere, tantumque sex càsus intermittentis pneumonicae pulmonis dextri inveniri potuisse. Quae quum ita sint, conjecturam facere non absurdum mihi videtur, hyperaemias et irritationes typicas omnino magis partem corporis sinistram invadere quam dextram. Affectionum viscerum abdominalium auctores attulerunt intermittentem cholericam, dysentericam, peritoniticam. Morbi intestinales perniciosi, Cholerae haud dissimiles, qui naturam intermittentem praestant, quamvis raro, tamen cuique epidemiae cholericae praemitti videntur. Dr. Pallis in Graecia observavit tres casus perniciosae cholericae tanta vehementia ut, qui circumstabant, Cholera asiatica implicitos esse aegrotos, putarent. Quod pertinet ad intermittentem peritoniticam, genuinae intermittentes in gravidis et puerperis raro inveniri videntur. Sane Metrophlebitis interdum intermittentis speciem inducit, mox tamen detegit malam suam naturam. — Omnes paene intermittentes cum aliis affectionibus conjunctae nobis sese ostendunt typo tertiano aut quartano. Modo illa tria stadia in paroxismo perspicue discernuntur, modo unum desideratur, modo duo, aut stadia ipsa minus clare prominent; hunc statum gravissimum et periculosissimum esse, sententia inter omnes auctores congruit; frequentissime sine dubio invenitur regionibus paludosis et in iis zonis, quae praeterea non utuntur integro solo et coelo salubri. Diagnosis in multis casibus est perdifficilis et si nonnullis locis, exempli caussa Parisiis, intermittentes perniciosas in morbos raros numerandas esse obtinetur, positum hoc in eo est, ut morbus saepissime occulte quasi transeat et multi vita decedant aegri, nemine praesentiente morbi naturam.

In statibus pathologicis, qui subsequuntur febres intermittentes, Anaemia, Hydropsiae, morbus Brigthii,

proprius color cutis, tumor splenis, pervicaces capitis dolores, defatigatio universalis, disturbata assimilatio. Omnia quae mala nomine „Cachexia ex intermittente“ appellantur. Quod primum pertinet ad Hydropsias, semper ex sanguinis ratione aquosa, ex Hydraemia sequuntur. Interdum tantum invenimus Oedema leve circa articulos aut in facie; interdum tamen exoritur Hydrops Anasarca tota in corpore, saepe una cum exsudationibus ex tunicis serosis. Qua de re postea morbi casum a me ipso diligenter observatum dare mihi proposui; alia morbi historia memorabilis a doctore Guenther narrata mihi haud negligenda est propterea quod ad multas partes similitudinem habere videtur cum illa a me referenda:

Vir sexaginta tres annos natus mense Augusto in morbum incidit significatum primo vehemente horrore conquassante, tum febri, capitis doloribus, insomniis, deliriis nocturnis. Mense Septembre Guenther aegrotum invenit febris in ardore, somnulentum ita ut ipse medicum de statu suo certiorem non facere posset, pulsus frequens, debilis, celer, caput ardens, pupilla contracta, lingua luteola nigricans, crasse contecta, alvus ex nonnullis diebus adstricta, quamvis abdomen compressum de doloribus voces non efficeret. Stupor erat tantus, ut demum, aegroto millies clare inclamato concussoque, lingua ejiceretur; nonnunquam suspiria, urina paucis ante horis ab aegro inscio reddita. Diagnosis: Febris bilio-nervosa cum suspicione intermittentis quia et eodem tempore multae intermittentes cum his symptomatibus acciderent, et cognati obtinerent, statum alternis diebus aggravescere. Medicatio: Hirudines ad caput, Natron carbonicum cum Rheo. Sequente die aegrotus melius sese habebat, respondebat quaestionibus positis et sermones conferebat cum propinquis. Tamen tertio die iterum aegrotus subito delirabat, stupor erat magnus, lingua sicca et fusca; adhibitum Chininum sulfur. cum acido hydrochlorat. et infus. rad. Valerianae, quibus aegrotus ex morbo convalescebat ut lectum relinquere posset. Tamen restabant symptomata quae spectabant ad morbum cerebri: dolores capitis, maxime in anteriori capitis parte, vertigo, praecipue si aegrotus caput flectebat, in exsurgendo aegrotus non

insistere poterat, et, titubante pede, retroversum cadebat; vox erat impedita ut ebrii. Praeterea signa aderant Hydraemiae, pulsus parvus, mollis, miserabilis, Oedema pedum, fatigatio ingens. Ordinatio: Tinct. ferri acet. aeth. et tinct. cortic. aurantior., quibus vires revocatae sunt. Curatione necessaria deficiente, diaetaque non sufficiente, aegrotus, in quo symptomata affecti cerebri supra commemorata nondum evanuerant, undecimo die mensis Octobris in Clinicum receptus est. Diagnosis: Exsudatio in cavum cranii, quae cerebellum comprimit. Ordinat: vesicantia in cervicem applicata, infus. flor. Arnicae primo cum Stib-kali-tartaric. postea cum Kalio jodato, diaeta alibilis, facilis ad concoquendum, cura alvi exonerandae: Status morbi celeriter melior factus est, primo capitis dolores, vertigo evanuerunt, loquela magis expedita, vires iterum se colligere inceperunt; diutissime prohibitus erat aegrotus ab ingressu, tamen hoc etiam cessavit, curatione supra notata continuata, et vir absolute sanatus die quinto decimo mensis Novembris ejusdem anni Clinicum reliquit et negotiis suis ut antea fungitur.

Capitis dolores in convalescentia saepe acerbissimo modo perdurant. Hi tantum illo in casu missione sanguinis levari possunt, quo dolores irritationi inflammatoriae cerebri adscribantur necesse est. Multis in hominibus jam sufficiunt tres aut quattuor febris tentationes, quibus cuti corporis ille proprius color flavus quem non puto describi posse, praeberetur. Color, qui nec cum illo in Cholaemia nec cum illo in Cachexia carcinomatosa conferri potest, praecipue in facie sese ostentat, semperque pendet ab sanguinis pejori qualitate. Higmard Melodermiam etiam perfectam observavit in juvene a parentibus albis nato; aegrotus intermittente affectus quartana, quae valde se produxerat, colorem illorum semi-aethiopum hominum, qui vocantur Mulatti, receperat. L'eon Marchant praeterea animum vertit ad pallidum colorem et latitudinem linguae, signum diagnosticum. Quo ex signo auctor omnes morbos intermittentes et febriculosos et non febriculosos statim cognovisse vult et id signum momentum facere Chinini sulfurici adhibendi obtinet. Lingua enim est pallida, lata, exanguis, subsicca tanquam in

chloroticis. Quo intensior est genius epidemicus, quo longius sejunguntur intermittentis impetus eo accuratius expressum est hoc signum, minus perspicuum in intermittente quotidiana et perniciosa. Signum praeterea auctor observavit, si, febri decedente, infiltrationes serosae et lienis intumescentiae admittebantur; proinde in febribus larvatis, Neuralgiis et Tussi periodica. Quam dui lingua pallida et lata, cortex Chinae multum pollet; si tamen fit rosea et praeacuta, organismus saturatus videtur et resistendum nobis est de remedio Ceterum magna est quaestio, nonne hoc signum ab Higmardo commemoratum tantum effectus Anaemiae habendum sit. Denique reliquum est, ut tumoris splenis, qui solemniter intermittentem sequitur, mentionem faciam. Tumores lienis saepius observantur in febribus quartanis et tertianis quam in quotidianis; et percussio et palpatio (interdum etiam lien per marginem costalem prominet) medicum certo ducunt. Piorry, recentiori tempore multis modis hac in re versatus, docet in litteris suis, circiter aegrotorum dimidiam partem graviter conqueri de doloribus et de sensu quodam gravitatis in Hypochondrio sinistro; quos dolores paene tantum in stadio primo subesse, saepe palpatione et plessimetro regionis lienis constitui posse. Nonnunquam invenimus hepar amplificatum, quae tamen intumescentia minus in oculos cadit. Caussa amplificationis horum viscerum trahenda esse videtur ab iis quae sequuntur; In paroxismo sanguis a peripheria corporis in partes interiores propellitur; vasibus subcutaneis exsanguibus, organa interiora, maxime hepar et splen sanguine implentur, et eo fiunt irritabiliora. Aegroti pallescentes angorem in regione epigastrica, constrictionem in pectoris parte inferiore sentiunt. Hoc modo, postquam vasa capillaria horum viscerum in quovis febris insultu sanguine impleta sunt, subito dilatantur, postea induratio incipit et, febri perdurante, celeriter increscit. Quamquam tumorem lienis verum tantum in intermittente et in Typho inveniri inter omnes constat, tamen Wunderlich monstrare tentat, eum non solum horum morborum proprium esse, sed etiam in plurimis aliis affectionibus acutis apparere. In diversis morbis acutis et percussio nobis praebet sonum obtusum in regione lienale et Ne-

croscopia monstrat lienem haud raro commutatum. Aber auch in jenen Fällen, Wunderlich dicit, wo sie ihr natürliches Volumen zeigt, findet sich fast immer eine mehr oder minder starke Runzlung ihrer Oberfläche, eine Schlaffheit ihrer Kapsel, was kaum anders zu deuten sein wird, als das eine Vergrösserung des Volumen vorhanden gewesen war, später aber die Milz wieder verschrumpft ist. Ex quo auctor concludit tumores lienis non esse proprium febrium illarum sed febrium omnium, et eos, ut jam supra commemoravi, Hyperaemia interna perfici, partibus corporis externis frigidis exsanguibusque. Jam huius pertractationis initio attigi, doctissimos viros per longum tempus disputasse, lienisne tumores consecutio an caussa intermittentis sint aestimandi.

Piorry prae omnibus sententiam posteriorem accepit. Attamen temporibus novissimis haec res, postquam praecipue Miquel, Bouyer, Nepple, Legrand observationes instituerunt accuratiores, satis clare exposita est. Quae quum ita sint, puto equidem in scribendo non praetereunda esse, quae illi viri hac de re gravissima tradiderunt. Miquel opponit sententiae a Piorry datae facta haec: organismum totum intermittente, morbo primario, affici; has febres intermittentes perfacile naturam suam amittere posse, simulatque adveniret malum locale; harum febrium caussam sine ullo delectu omnibus in corporis partibus sentiri et post mortem alia etiam viscera commutata inveniri, ut hepar, pulmones, cerebrum, renes, in quae omnia intermittens vim magnam haberet; symptomata morbi primarii lienis, ad exemplum splenitidis, haudquaquam convenire intermittentis symptomatibus, remedia demum antiphlogistica in intermittente pura nil valere. Bouyer nunquam sibi persuadere potuit, utrum lien ante primam febris intermittentis tentationem jam amplificatus aut in forma mutatus fuerit, et quamquam antecedentia semper diligentissime investigabantur, tamen nunquam invenit auctor symptomata, quae referri poterant ad affectionem lienis incipientem. Nonnunquam in stadio primo et tumor et dolores in hac corporis regione accrescunt, evanescunt autem in stadio sudoris. Deinde si aegroti, octo aut decem tentationibus praetermissis, ex febri

convalescunt, nullum saepe vestigium restat intumescentiae lienis; sin autem morbus, curatione incommoda aut nil valente, menses, annos perdurat, ad extremum tumor stabilis. Lien adauget aut lente, aut celeriter, et in hoc casu per longum manet tempus stationarius, semper autem tumor intermittentem secutus est. Multi aegroti, maxime infantes, emergunt incommoda valetudine, postquam per plures annos hac lienis intumescentia, macritudine et Cachexia cruciati erant; tamen splen normalem magnetudinem et formam non jam recipere solet. Itaque auctor lienis affectiones in febri intermittente tantum congestionem passivam et sequelam intermittentis, sed non caussam habendas esse putat. Ceterum intermittentes perinde interdum hepatis intumescentiam producunt, quae quum propter arctiorem texturam huius organi ad eundem gradum magnitudinis pervenire non possit, continuo alias profert commutationes; Ascitem etiam evocat intermittens; sed nec hepatis nec peritonaei nec lienis affectiones sunt morbi primarii. Nepple hac in re disjungit intermittentes vulgares et febres remittentes et intermittentes terrarum palustrium fervidarum. In illis perspicimus lienem sanguine venoso impletum sine ulla inflammatione; in his in stadio reactionis sanguis arteriosus violenter in lienis texturam injicitur; in illis resolutio admitti potest, interdum multos annos tumor perdurat sine magna texturae mutatione, raro nascitur Malacia aut Infiltratio purulenta cum degeneratione; in his paene semper Malacia relinquitur et violenta lienis dilatione et fluidis sanguineis exsudatis et Sanguinis dissolutione. Quae omnes commutationes nec habent naturam criticam nec numerandae sunt inter caussas intermittentium, nam saepenumero lien manet intactus aut tam leviter afficitur ut illa supra commemorata symptomata gravia haud satis explanari possint.

Demum reliquum est, ut illas observationes, quas ipse aestate et autumno anni MDCCCLIII de intermittente Malaria institui, paucis absolvam.

Quae febres eminuerunt non solum diuturnitate et curatione perdifficili, sed etiam multis variisque complicationibus, quae aut tanta vehementia procedebant,

ut per se Prognosis constituenda fuerit iniqua, aut admodum protrahebantur, ut aegroti, praecipue infantes, devincere non possent.

Quod attinet ad primam rem, in multis casibus difficultates habuit, intermissiones veras ponere, in aliis, febri intermittente ad continuam transeunte, remedia antitypica effectu caruerunt. Apyrexiae etiam crebro tantu cruciatu aegros affecerunt, quantum observare occasio nobis raro data est. Facies fuit mutata, prostratio virium et collapsus permagni, dolores capitis atque dolores liene et hepate tumefactis producti, paene intolerandi. Intermittentes quartanas equidem non observavi; status plerumque incipiens typo tertiano, deinde transiit in febrem quotidianam nec raro pluribus paroxismis per horas viginti quattuor ad finem venit. Stadium frigoris aut tota cum energia affuit aut omnino defuit, praecipue in pueris, aut saepe tantum hactenus in oculos incurrit, quod corpus universum subito et ad breve tempus refrigeresceret. Stadium secundum monstravit diuturnitatem et maximam gravitatem; tertium interdum defecit. Mala quae intermittentem consequi solent, maxuma ex parte perspicue et acriter in lucem prodierunt. Color flavus aegrotis ex intermittente tam proprius in nonnullis jam partim post primos impetus apparuit, lien paene semper amplificatus aut manibus contrectari potuit, aut, ut nonnunquam ipse animadverti, talem magnetudinem adeptus est, ut usque ad columnam vertebralem pertingeret et ut, cuius rei ego habeo documenta, perfacile posset permutari cum liquore ex pleura sinistra exsudato. Praeterea aegroti conquerebantur magnos dolores et gravitatem in Hypochondrio sinistro. Etiam hepar interdum volumine adauctum me invenisse in scribendo non mihi praetereundum est. Effusiones serosae et universales et partiariae etiam cum renum degeneratione Brigthii ubivis, ut ita dicam, viguerunt. Innumerabiles fuerunt morbi reditus, praecipue apud eos, qui atmosphaericis injuriis sese objiciebant, domicilia sua locis humidis et pestilentibus collocabant, in diaeta justam non adhibebant cautionem; ceterum maxuma ex parte morbus tantum in tales homines ingruit, qui morbi fontes commemoratas evitare aut non poterant aut nolebant. Chininum sulfuricum cre-

bro nil valuit aut caussis incognitis aut quod aegrotis in concoquendo molestias conficiebat aut quod illae multae complicationes non satis remotae erant. Etiam Chinini applicationem endermaticam et acidum arsenicosum hic illic adhibere coacti eramus nec tamen impetravimus reditum verum celeremque ad salutem. In Cachexia et liene tumefacto ferrum, remedia amara et laxantia, in Hydropsia diuretica nonnunquam adjuverunt.

Deinde quod pertinet ad complicationes, incommoda gastrica primum tenuerunt locum. Fere semper ad necessitatem adducti eramus, ut ante medicamenta febrifuga adhibenda, emetica praescriberemus et Ammon. hydrochlorat. et hoc per longum tempus teneremus.

Gravissima et pertinax febris in stadio secundo saepenumero, stadium tertium valde expressum non observatum est. Natura nervosa in pueris patuit Deliriis et Spasmis (qua de re historiam morbi bellam lectori exponere mihi extremum proposui). Etiam organa respirationis aliquoties affecta erant, cuius quoque rei ego documenta duo in promptu habeo. Viscerum abdominalium prae omnibus, ut jam antea dixi, lien et hepar laboraverunt; etiam Dysenteriae et Catarrhi intestinales acciderunt.

Diagnosis, epidemia tam longe lateque diffusa, non obstructa erat difficultatibus; Prognosis tamen mala, praesertim si infantes et homines infirmiores maleque nutriti inferiorum ordinum morbo implicabantur. Curatio semper primo conversa est in complicationes et, his remotis (id quod proh dolor interdum factu non facillimum erat), deinde in morbum primarium. In extrema cura corticem Chinae, refracta dosi, simul tonicum et antitypicum adhibentes in nonnullis aegrotis successu prospero gavisi sumus, contra methodus endermatica Chinino facta semper effectu caruit. Trium casuum morbi sequentium, quos ipse diligenter accurateque observavi, duo cum Pneumonia complicati erant; qui refertur ad extremum, postquam inchoaverat intermittente obstinata, detexit in Necroscopia statum illum qui a medicis appellatur Meningitis tuberculosa, tamen persuasissimum mihi est, Cachexiam Matariam hic etiam habuisse vim infestam.

Morbi historia I.

Johanna Trusiner, puella parva, infirmior, duos annos nata, ut mater confirmabat, antea bene sese habuerat. Nonnullas jam per hebdomades infantem tenuit intermittens tertiana, facies splenica manifesto modo expressa erat. Praeterea abhinc tres dies advenerat tussis acerbissima et dolores pectoris; respiratio accelerata, febris subcontinua. Tamen omnia haec symptomata in paroxismis vi accrescere mater ultro indicavit. Sine dubio, quum aegrotam primum viderem, pulsum acceleratum, cutem fervidam inveni; infans sitim et dolores capitis toleravit. Percussio et auscultatio ostenderunt: in dextra anteriore parte thoracis sonum obtusum respiratione bronchiali accedente, in parte posteriore rhonchos catarrhales. Ciborum appetentia defuit, lingua contecta, sedes normales.

Diagnosis: Intermittens cum Pneumonia.

Medicatio: Primo remediis antiphlogisticis opus erat. Hirudines quattuor in illam, quam antea dixi, partem thoracis, interne Hydrarg. chlorat. mit. gr. $^1/_4$ binis horis. Nam quamquam intermittentem nos concederemus necesse erat, tamen primo Pneumoniae rationem habuimus, ut postea intermittens una sola in curam recipi posset.

Sequente die, quo apyrexia expectabatur, infantem re vera satis bene se habentem inveni; quin symptomata Pneumoniae quippam remiserant. Signa quidem physica, quae pridie observata erant, perstiterunt, tamen molestiae minutae; itaque Hydrarg. tenuerunt. Tertio die exacerbatio maxime conspicua et signorum Pneumoniae et intermittentis; itaque jam semper coacti, remedia antiphlogistica servare, denique laeti eo pervenimus, ut die quarto sine haesitatione Chinin. sulf. praescribere possemus. Puella usa est per duos dies tam bona valetudine, quam in convalescentibus ex morbis periculosis fieri solet.

Die septimo status ingravescebat. Denuo apparuerunt paroxismi non tantum febriculosi, sed etiam signa Pneumoniae antea observata, tussis, dolores et angores pectoris, in posteriore thoracis parte dextra sonus obtusus et respiratio bronchialis.

Medicatio: Iterum quattuor hirudines et Calomel. Die octavo manifesta paene omnium symptomatum remissio sic ut iterum Chinin. sulf. et quidem prosperiore successu adhiberi posset. Nonnullis enim post diebus infantem extra periculum esse arbitrantes spem habebamus fore ut color cutis abnormis et tumor lienis tempore cederent.

Inprimis nos nixi sumus ad Pneumoniam devincendam, quod haec, febri intermittente remota, saepe perdurare solet. Ex sententia, etiamsi non sine ullo labore, nobis processit, adhibita antiphlogosi, Pneumoniam resolvere; deinceps antitypica, ut eventus demonstravit, fuerunt in loco.

Tamen post aliquot hebdomades in eadem infante morbi nonnulla symptomata exacerbaverunt. Sed haec tantum constiterunt ex Cachexia quadam post intermittentem, deficientibus signis pneumonicis. Aegrota habuit adspectum pallidum, luteolam, exsanguem, lien fuit amplificatus, tactu dolens, tussis defuit. Passim quamvis ardoris impetus singulos advenire mater obtineret, tamen typum verum comperire non potuimus. Indicatio; igitur fuit haec: ut uno eodemque tempore uteremur et remediis tonicis et febrifugis. Praescriptum est:

℞ Cinchonini sulfur. ℈jß
syrup. simpl. ℥jj

DS. Dreimal täglich einen Theelöffel voll.

Exitus occurrit expectationibus nostris, eodem medicamento repetito; nam infans usque ad nunc temporis optima utitur valetudine.

Morbi historia II.

Otto Biber puer parum firmus quattuor annos natus eodem tempore a me in curam receptus, principio praebuit ea symptomata intermittentis una cum Pneumonia sinistra. Sed Pneumonia fuit multo gravior magisque diffusa; superior lobus pulmonis sinistri, instituta physica exploratione, illud, quod a medicis „Hepatisatio“ vocatur, stadium palam fecit. Prognosis: igitur iniqua erat aestimanda et jure dubitavimus utrum uterque morbus sanari posset. Usi sumus per longum tempus et graviter methodo antiphlogistica (missionibus

sanguinis topicis et mercurialibus); praeterea paroxismi a principio regulis convenientes in typo tertiano, tum in quotidiano et demum cuilibet typo repugnantes processerunt, quare, interjectis quattuor hebdomadibus, puer admodum exhauriebatur, (quum tentationes etiam saepe noctu apparerent et aegroto aufferrent somnum) ut status cachecticus haud exiguus prodiret. Color morbo proprius perspicue expressus, languor et infirmitas ingens, dolores capitis, hepatis et lienis Physconiae, denique Hydrops Anasarca. Quae cum ita essent, Pneumoniam in medio relinquentes nos praescripsimus Chinin. sulf. Id quod qualibet forma evomitum est, quin methodus endermatica nil valuit. Hoc modo, septem circiter circumactis hebdomadibus, puer morbo confectus est. Non data autopsiae permissio.

Morbi historia III.

Robert Schroeder puer natus fere duos annos, antea ex acuto Exanthemate evaserat, cuius de ratione nos certiores fieri non potuimus. Abhinc nonnullis hebdomadibus puer vexatus est intermittente tertiana. Chinin. sulfur. separatis temporibus variisque formis adhibitum semper evomitum est. Post dies octo emersit febris continua cum ardore, maxima siti, insomniis, anorexia, alvo adstricta et lienis tumore. Iterum, interjectis octo diebus, mater animadvertisse credidit, subito infanti auditum negatum et sermonis usum esse sublatum. Quaestiones accuratissimae quamquam constitutae sunt, tamen de hoc facto persuasum nobis habere non potuimus. Otorrhoea aut aliae aurium affectiones rejectae sunt; loquela utique confusa sed non impedita postridie restituta est et demum destitit, omnibus mentis agitationibus missis. Infans facie flava cachectica fuit et febricitavit. Pulsus nobis praebuit ictus centum et quattuor quavis sexagesima horae parte, sine energia, cutis fervida, sitis maxuma, lingua pura, vomitus (nisi, ut jam antea dixi, ex Chinino) et spasmi nunquam observati, alvus adstricta. Sine dubio signorum major pars admonet, ut cerebrum morbo quodam esset affectum. P r o g n o s i s: dubia, potius mala. M e d i c a t:

acid. hydrochlor., balneae aromaticae; nam et febris ardorem impugnari viresque corroborari oportuit.

Die secundo puer melius sese habuit. Quippe febris adfuit, non tamen tanta vehementia, quam pridie: auditus et vox reductae, etiam concoctio normalis visa est, quum infans desiderium ciborum ostenderet. Nec mirum fuit, si nobis in suspicionem veniret, intermittentem subesse perniciosam. Tertio die parentes memoraverunt, infantem paullo ante adventum meum frigore affectum faciem subcaeruleam prae se tulisse. Iterum exstiterunt symptomata febriculosa, pulsus acceleratus, cutis fervens, sitis, jactatio; aegrotus saepe caput prehendit tanquam doloribus vexaretur, singuli musculi faciei et, ut mihi videbatur, superiores etiam extremitates passim spastice contrahebantur. Vomitus non observatus; adhoc infans ex vespere superiore cibis abstinuit. Nunc haudquaquam dubii, quin morbus esset intermittens comitata, nos decrevimus sequente die, si denuo remissio advenisset, statim aegroto praescribere Chinin. sulf. Quo die quarto ante meridiem re vera molestiarum remissio subesse visa est; ordinavi: Chinin. sulf. gr. j. singulis horis, pilularum forma, vomitum respiciens. Post meridiem ejusdem diei celeriter ad aegrotum vocatus parentes docuerunt puerum subito spasmis affectum esse. Inveni aegrotum febris ardore vehementissimo vexatum, pulsus quamvis acceleratus non tamen debilis fuit, extremitates et superiores et inferiores periodice contractae sunt, sensus effugerant, Chinin. porro datum est. Die quinto aegrotus pariter non compos fuit mentis suae. Noctem infans insomnis egerat, perpetuo deliraverat spasmis adjectis, pupillae aequales sed dilatatae, oculi rigentes, spumae ore, pulsus celer, parvus, respiratio accelerata, difficilis, sine congestionum signis, ore pallido, viribus fractis. Itaque intermittens antea suscepta transiisse mihi visa est in continuam febrem cum omnibus Hydrocephali acuti symptomatibus, vomitu modo deficiente.

Tum magna fuit quaestio:

1) utrum fortasse Hydrocephalum acutum separatum ab intermittente per se dignoscere jus nobis dari posset?

2) an Hydrocephalus forsitan pendere posset ex Hydraemia, quam intermittens pertinax efficere solet, sicuti Ascites, Hydrothorax ex intermittente.

Prognosis: ad omnes partes pessima; curam direximus in vires excitandas. Ordin.: Moschi gr. β singulis horis. Remedium vespere iteratum.

Die sexto collapsus multo major, stupor, pupilla dilatata, Strabismus, musculorum contractiones, molestiae in deglutiendo, alvus adstricta. Ord.: remedia indifferentia, Clysma.

Quo modo status tenuit usque ad diem duodecimum ex morbi initio. Clysmata fuerunt vana, quod injecta statim sunt evacuata. Proximis diebus omnes involuntariae erant excretiones, medicamenta non jam devorari potuerunt, respiratio stertens, pulsus quamvis regularis tamen celerrimus et vix sensibilis, vultus collapsus, totum corpus macerrimum. Die demum tertio decimo puer e vita decessit.

Autopsia: Arachnoidea tunica liquore seroso elevata erat, gyri cerebri laevigati, pia mater sanguine madefacta et quasi consita granulationibus tuberculosis, in gyris etiam tubercula, cerebrum molle et liquefactum, in ventriculis fluidum serosum sanguine mixtum unciarum decem.

Praeterea invenimus tubercula in pulmonibus et glandulis bronchiorum. Itaque quin puer Meningitide tuberculosa cum effusione serosa in ventriculos cerebri mortuus esset, certe nemini dubium erat; tamen forsitan hic processus nondum in medium prodiisset, nisi Cachexia ex intermittente et Hydraemia serosis effusionibus propitiae fuissent.

Vita.

Natus sum C. L. F. Oscar Voigtel, evangelicae addictus confessioni, Brandenburgi prope Havellam, die X. mensis Novembris anni MDCCCXXIX, patre Ludovico, matre e gente Schulz, quos ad hoc tempus vivos deus benignus mihi servavit. Patre, qui rebus publicis sese dedisset, mea de urbe natali translocato Coloniam Agrippinam, ibi primo minoris gradus scholam, deinde gymnasii evangelici, Directore ill. Grusshof jamdiu mortuo, frequentavi classem sextam et quintam. Tum, patre, iterum transposito Potsdamium, gymnasii regii, Directore ill. Rigler, classem tertiam adeptus, denique Regiomonti Borussorum gymnasio Palaeopolitano, quod Directore ill. Ellendt, praeceptoribus Gryczewski, Müttrich, Fatscheck, Bender, Nitka, Krah, Richter florebat, scholae culturam confeci.

Vere anni MDCCCL testimonio maturitatis ornatus, a professore ill. Rosenkranz t. t. Prorectore magnifico in civium Academiae almae Albertinae numerum receptus, a professore ill. Seerig in album medicorum ordinis inscriptus sum.

Per octo semestria hisce interfui scholis: Docuerunt me: Botanicen ill. Meyer, logicen ill. Taute, zoologiam, splanchnologiam, angïologiam, historiam evolutionis et ana-

tomiam comparantem animal. vertebrat. ill. Rathke, osteologiam, syndesmologiam, myologiam, neurologiam, artem cadaverum rite secandorum ill. Burdach, physicen experimentalem ill. Moser, chemiam experimentalem, zoochemiam, phytochemiam ill. Dulk, physiologiam et pathologiam generalem ill. Helmholtz, materiam medicam et scientiam formulas concinnandi ill. Cruse, pathologiam et therapiam specialem ill. Möller, auscultandi et percutiendi artem et explorationem secretorum et excretorum pathologicorum Dr. doctiss Hay, chirurgiam, ophthalmiatricen et artem fascias rite imponendi ill. Seerig, histiologiam pathologicam Dr. doctiss. de Wittich, morbos nervorum ill. Hirsch, artem obstetriciam theoreticam et practicam ill. Hayn, morbos mulierum Dr. doctiss. Wohlgemuth. Clinicum medicum duce ill. Hirsch, policlinicum duce ill. Möller, clinicum chirurgicum duce ill. Seerig, policlinicum duce ill. Burow, clinicum et policlinicum obstetricium duce ill. Hayn frequentavi et auscultans et curam aegrotorum in me suspiciens.

Quibus viris omnibus, optime me de meritis, gratias ago quam maxumas semperque agam.

Jam vero tentaminibus philosophico et medico nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore ut, dissertatione publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.